34357

B. C. D.

DISSERTATIO MEDICA DE CORIANDRO

QUAM

Divina Favente Clementia

PRÆSIDE

DN. JOHANNE BOECLERO,
PHIL. ATQUE MED. DOCTORE, CHYM. BOTAN.
RELIQUÆQUE MATERIÆ MEDICÆ PROF. PUBL. ORD.
h. t.
FACULTATIS MEDICÆ DECANO

IN ALMA ARGENTORATENSIUM UNIVERSITATE,

D. 28. April. M D CC XXXIX.

H. L. Q. C.

SOLENNI AC PLACIDÆ ERUDITORUM CENSURÆ SUBJICIET.

FRANCISCUS ANTONIUS BRUNCK,
SELESTADIENSIS.

ARGENTORATI,
LITERIS Heredum JOHANNIS PASTORII.

LXII.

DEO

ET

PROXIMO.

WELLCOME HISTORICAL MEDICAL LIBRARY

PROOEMIUM.

HAud ſpernendum ſane eſt monitum illud GALENI *de Antidotis L.* 1. *c.* 15. ita loquentis: Medicus *omnium Stirpium, ſi fieri poſſit, peritiam habeat: ſin minus, plurium ſaltem & eorum quibus frequenter utimur.* Illa enim ſanitatis præſidia, quæ Alma parens Natura in opulentiſſimo Gazophylacio Vegetabili nimirum Regno nobis ſuppeditat, faciliore ſui parabilitate, convenientiore corporibus noſtris natura & temperatioribus, eximiis tamen, viribus uſibusque Medico, cui ſanitatis,

 pretio-

pretioſiſſimi illius vitæ humanæ theſauri, cura concredita eſt, quam maxime ſe probant. Equidem tam immenſum cumulum tot myriadum Vegetabilium ſaluberrimorum tam alimentorum quam medicamentorum rimantem vita brevis citius deficeret, quam vel obiter ſaltem & fugitivo quaſi oculo ſingula perluſtraverit; eo tamen Medico omni ſtudio eſt allaborandum, ut, quantum fieri poteſt, exactam non tantum quoad nomina & externas facies, ſed & quoad partes conſtitutivas indeque pendentes virtutes, ſibi comparet notitiam, ad minimum illorum Vegetabilium quæ frequentioris ſelectiorisque ſunt uſus, quæque non una & ſimplici, ſed multiplici, virtute præ aliis corruſcant. Inter tales vero, Polychreſto uſu ſeſe maximopere commendantes plantas haud infimi ordinis eſt CORIANDRUM; quippe cujus præſertim ſemen multivariam Oeconomiæ, Culinis & Officinis Pharmaceuticis affundit utilitatem. Hocce Aroma noſtras egregium pro themate præſentis Diſſertatiunculæ Academicæ elegimus, paucis ea quæ circa illud maxime notanda veniunt tradituri. Deus T. O. M. exalto clementiſſime benedicat. Tu vero B. L. Fave & Vale.

§. I. Ut

§ I.

VT recepto Botanicis mori ſatisfaciamus ab Onomatologia tractationis initium erit faciendum. Vegetabili itaque noſtro, impræſentiarum explicando, Cimices nomen feciſſe unanimis ferè præſtantiſſimorum Botanicorum conſenſus loquitur, odore ejus ſ. potius fœtore ipſo id abunde confirmante. Tota enim planta recens Cimices redolet; imo *hi*, verba ſunt HIERON. TRAGI *Hiſt. Stirp. L.* I. *c.* 36. *non tam grave olent ac recens Coriandri herba, qui fit ut ob odorem, teſte Dioſcoride, Coriandrum latere non poſſit, ut illud vel cœcus cognoſcere queat.* Cimices enim κόρεις Græcis audiunt, hincque planta noſtra, eos redolens, Græciæ Botanicis κόριον & κορίανον ſ. κορίαννον dicta fuit, & nonnullis κορίσιον aut κοράσιον, κορίανδρον & corrupte quibusdam κολίανδρον, vid. BODÆUS à STAPEL *Comment. in Theophr. Hiſt. Plant. L. VII. c.* 3. *p.* 747. Sunt equidem quidam recentiorum, qui cum infimæ Græciæ ſcriptoribus plantam noſtram non à Cimicibus, ſed quaſi Coriamblon i. e. hebetantem oculorum pupillas, à κόρη pupilla & ἀμβλύνειν hebetare, dictam fuiſſe volunt. *Quod vero, quam verum ſit*, inquit MARC. VIRGIL. *Comment. in Dioſc. de Mat. Med. L. III. c.* 62. *peritiores intelligent. Ab hoc enim, quod ad oculos pertineat privatim, in Coriandro nihil decernitur.* Nomen autem à Græcis impoſitum apud aliarum gentium Botanicos planta hæc retinuit. Siquidem

 dem

dem Latini illam etiam *Corium*, *Corianum*, *Coriannum*, *Coliandrum* atque *Coriandrum* vocant, quod poſterius vocabulum ex Corianno poſteriores Latinos atque Officinas feciſſe autumant REMB. DODON. *Stirp. Pempt. II. L. V. c.* 7. & JAC. DALECHAMP. *Hiſt. Gen. Plant. L. VI. c.* 23. Celeb. vero HERM. BOERHAVE *Hiſt. Plant. H. L. B. p.* 100. à Græco κόρις & inſula Andro deducit, minus tamen, uti videtur, recte, cum huic inſulæ prius magisve ac aliis locis familiare fuiſſe Coriandrum, imo de tota hac Etymologia nullibi quid legatur. Germani quoque hanc plantam eodem & haud mutato fere nomine Coriander/ Coliander inſigniunt. Quod & Galli faciunt *Coriandre* vocando. Quibusdam adhuc *Anethum Cimicum ſ. Cimicarium* Wantzendill audit, ab odorem ex grato Anethi & ingrato Cimicum mixtum. Sicuti quoque Germanice etiam vocatur Schweinelkraut pro Schwindelkraut à virtute contra vertiginem. Coriandri denominationes, quas apud alias gentes obtinuit, qui deſiderat, adeat JAC. TABERNÆMONT. Kräuterb. *L. I. c.* 17. & JOH. BAUHIN. *Hiſt. Plant. T. III. part.* 2. *p.* 88.

§. II.

Onomatologiæ nunc ſubnectimus plantæ noſtræ deſcriptionem. Coriandrum omnes Botanici Plantarum Umbelliferarum Catalogo adſcribunt, ſuffragante Autopſia. Floribus namque gaudet roſaceis, umbellæ (qua mulieres ſolem aut pluviam à vultu arcere ſolent, Gallis Paraſol ou Parapluye dictæ) in modum diſpoſitis, calyce in duo ſemina abeunte; in quibus Character plantarum Umbelliferarum à Botanicis ponitur. Hinc etiam à Botanicorum Coryphæo, Illuſtri JOSEPH. PITTON. TOURNEFORTIO *Inſt. Rei Herbar. Claſſ. VII. Sect. III. G. II.* acuratiſſime, pro more, ita deſcribitur: CORIANDRUM *eſt plantæ*

genus

genus flore roſaceo & umbellato, plurimis ſcilicet petalis inæqualibus & cordiformibus conſtante, quandoque vero æqualibus, in orbem poſitis & calyci inſidentibus. Is autem abit in fructum ex duobus ſeminibus compoſitum nunc ſemiſphæricis, nunc ſphæricis. Notam Characteriſticam, qua ab omnibus aliis plantis umbelliferis diſtinguitur, deſumunt Botanici à figura ſeminum (potius capſulæ ſeminalis ſ. fructus) ſtriatorum exacte ſphærica, ſive jam duorum ſeminum hemiſphæricorum, in unum quaſi coalitorum, uti in Coriandro ſativo; ſive unius tantum ſeminis, ut in Sylveſtri. Cui notæ folia prima ſ. infima lata, ſuperiora tenuiter inciſa, cum Aniſo convenientia, quibus etiam ab aliis umbelliferis differt, addit Clariſſ. JOH. RAJUS *Hiſt. Plant. Gen. T. I. p.* 470.

§. III.

A generaliore hac Coriandri deſcriptione ad ejus ſpecies nunc devolvimur, in quibus deſignandis Recentiores Botanici cum Veteribus non conveniunt. His enim ſativum tantum Coriandrum innoteſcebat; illorum vero induſtria plura detexit, Sativum nempe atque Sylveſtre, teſte BOD. à STAPEL. *l. c.* Illuſtre inprimis illud Botanicorum & Fratrum BAUHINORUM par CASPARUS & JOHANNES, ille *in pin. p.* 158. hic *in Hiſt. Plant. T. III. part.* 2. *p,* 89. *ſeqq.* cumque his RAJUS *l. c.* & BOERHAVE *Ind.Alt. H. L. B. p.* 59. aliique tres recenſent Coriandri ſpecies, Coriandrum Majus, Minus atque Sylveſtre. Iª ſpecies eſt Coriandrum Majus C.B.P. Tourn. J. R. H. Mor. Hiſt. Pl. Coriandrum Offic. Lobel. Icon. J. B. Ger. &c. Coriandrum ſativum Majus Mor. Umb. Coriandrum vulgare Parkin. Coriandrum quod recens frigidum exiccatum vero calefacit Guilan: Coriander Tur. gemeiner oder groſſer Coriander. Hanc ſpeciem cum

cum Joh. Bauhino ita deſcribit Rajus *l. c.* Radicula huic eſt recta & ſimplex tenuisque, paucis omnino fibris donata, candida. Caulis ſimplex, cubitalis, bicubitalis & major etiam, teres, glaber, medulla farctus, nulla intus cavitate, ſolidus, ſtriatus, gracilis, ramoſus. Folia ima lata, pinnata, aut circa margines duntaxat inciſa, Aniſi aut potius Petroſelini foliis ſimilia, ſuperiora vero in caule tenuiſſime diſſecta, ut ad Chamæmelina accedant, ſapore & odore fœdo intolerabili Cimicum. Umbellæ florum laxiores, ſummo cauli & ramulis inſidentes petroſelini pares, colore propemodum carneo, magis tamen ad album vergente, ſub quibus folia viridia circumnaſcuntur. Floſculi ſingulares quinque foliolis ſ. petalis conſtantes inæqualibus, quorum extimum ſ. ſuperius ampliſſimum, longum & ad unguem fere bifidum; proxima utrinque ſ. lateralia breviora, biſecta quoque, ſegmento altero amplo, altero minimo; intima ſ. infima duo breviſſima & minima. Qui floſculi calyci inſident parvo, viridi, cum quinque acuminibus etiam irregularibus. Semina ſingulis floſculis ſuccedunt bina hemisphærica arcte juncta in unica & rotunda ſtriata cruſta ſ. capſula, quæ fructus eſt, ex calyce ortus. Odor plantæ virentis fœtidus & ingratus cimicum; ſeminis vero tum odor, tum ſapor gratiſſimus & aromaticus eſt. II^da^ Species Coriandri audit Coriandrum minus, teſticulatum C. B. Pin. Tourn. J. R. H. Mor. H. Pl. Coriandrum minus, odorum J. B. Coriandrum alterum, minus, odorum Lobel. Icon. Ger. emac: Coriandri altera Icon. Dodon: Coriandrum 2. inodorum Tabern. Kl iner wohlriechender Coriander. Quam rurſus Rajus *l. c.* ex Joh. Bauhino. *l. c.* hunc in modum deſcribit. Ima folia habet minutius inciſa & ſemen habitius, copioſius, in pluribus ſpithamæis procumbentibus cauliculis. Præterea inſigni nota à præcedente Specie differt,

differt, nimirum ſeminibus binis (ſ. potius capſulis binis ſeminalibus) teſticulorum in modum ſimul junctis, unicuique floſculo ſuccedentibus. Virentis etiam herbæ odor multo magis fœtidus & ingratus eſt authore Moriſſono. IIIia denique ſpecies vocatur Coriandrum Sylveſtre fœtidiſſimum C. B. Pin. Bœrh. Ind. A. H. L. B. Coriandrum Sylveſtre I. B. Coriandrum alterum fœtidiſſimum Parkin. Raj. Cujus deſcriptionem rurſus ex Joh. Bauh. hanc tradit Rajus *l. c.* Radix huic Sylveſtri Coriandro eſt ſingularis, tenuis, non altius demiſſa, cui radiculæ aliquot tenues adnaſcuntur. Hæc caules edit quinque angulis conſtantes, ſolidos, geniculatos. Ramuli incerto ordine ſimiliter ſolide è ſingulis geniculis prodeunt, folia ferentes ſummis Coriandri ſativi foliis ſimilia, ſed minora, in quorum cacuminibus umbellæ velut in illo, floribus ex purpureo candicantibus refertæ; quibus diſcuſſis ſemen oritur rotundum, id peculiare habens, quod in ſingulis pediculis duplex ſit & unum alteri junctum. Odor totius plantæ gravior quam Coriandri ſativi & caput magis tentans. Duas has poſteriores ſpecies non ſeparat Morissonus teſte Rajo *l. c.* Et Rajus, licet plantas has nunquam viderit, quoque ſuſpicatur utramque unam eſſe eandemque ſpeciem, cum nihil in deſcriptione ſit quod repugnet. Cujus ſententiæ etiam Tournefortius eſſe videtur, qui duarum tantum ſpecierum meminit *l. c.* Muntingius *Hiſt. Plant. p.* 511. duas Coriandri vulgaris ſpecies facit alteram ſemine majore, alteram minore; ſed videtur diverſitas hæc tantum ſolo natali eſſe tribuenda. Præter recenſitas Species Tournef. *Coroll. J. R. H. p.* 22. Coriandri Orientalis Chamæmeli folio; & Plucken. in *Phytogr.* Coriandri minoris teſticulati, ſeminibus verrucarum inſtar aſperatis, & veluti ſaccharo obductis, mentionem faciunt. Ex omnibus autem hiſce ſpecie-

bus prima ſpecies uſitatior eſt & ejus ſemen præcipue & unice fere Officinis uſuale exiſtit, teſtibus CASP. HOFFM. *de Med. Off. l. 2. c. 70.* & JOH. SCHROEDER. *Theſ. Pharm. L. IV. Cl. 1. tit. CVI. De Coriandro.*

§. IV.

Patriam & natale ſolum quod attinet, Sylveſtre Coriandrum ſponte naſci in Italia & Hiſpania alibique, locis quadantenus ſiccis, marginibus & limitibus terrenis. Uberius tamen propullulare & altius adoleſcere ſolo humidiore aſſerunt TABERNÆMONTANUS & JOH. BAUHINUS *l. c.* Sativum autem Coriandrum, non niſi quotannis ſatum, unde & nomen ſativi, creſcit; ſolum amans lætum ac pingue humidumque, ſoli tamen expoſitum; quippe Coriandri ſemen melius ſemper atque validius eſſe, quod in locis apricis, quam quod in umbroſis provenit, obſervarunt Authores. *Vid. Tabernæmont. l. c. Zwinger* Kräuterb. *p.* 704. locis interim macris etiam creſcit. Colitur in noſtris regionibus, Gallia, Germania &c. ex ſemine in hortis & agris. Olim in confiniis Urbis noſtræ copioſe cultum fuiſſe, haud exiguo cum fœnore, teſtantur *cit. authores*, qui plura adhuc circa ejus culturam annotarunt. Hodie hæc cultura apud nos non adeo frequens amplius eſt. Flores producit Coriandrum noſtris in oris Majo & Junio. Julio ſemen perficit.

§. V.

Examinata ſic ſufficienter planta noſtra quoad externam ejus faciem atque accidentia, ad characterem ejus internum evolvendum progredimur, naturam ejus uſumque luſtraturi. Enodanda autem hic ſtatim in limine venit inſignis inter veteris æque ac recentioris ævi Medicos, magno cum fervore agitata, quæſtio de virulenta

Coriandri

Coriandri indole. Quibusdam, ut Nicandro ejusque Scholiaſte, Dioſcoride, Sim. Sethi, Avicenna cum pluribus Arabibus, Dodonæo, Trago, Tabernæmontano, Caſp. Hoffmanno &c. talem ei tribuentibus, aliis vero, inter quos Theophraſtus, Galenus, Matthiolus, Amatus Luſitanus, Cæſalpinus, Alpinus, Pena, Lobelius, Bodæus à Stapel, Zwelfferus, Sennertus, Schrœderus, Ettmüllerus, Simon Pauli, Frid. Hoffmannus & ſaniores omnes, illam Coriandro denegantibus, quorum omnium verba adducere nimis prolixum foret, nominaſſe eos ſufficiat. Hancce jam litem componere non abs re erit antequam ulterius procedamus. Non melius autem id fieri poterit, quam probe ponderando atque examinando argumenta, quibus virulentiam Coriandri demonſtrare conantur. Deſumunt autem hæc argumenta partim ab odore, partim ab effectu. Quod primum attinet odorem nempe, quidam, teſte *Bodæo à Stapel Comm. in Theophr. L. VII. c. 3. p. 747.* cum *Nicandro Alexiph.* & *Dioſcoride de Mat. Med. L. VI. c. 9.* ex odore Coriandri fœtido venenatam ejus indolem cognoſcere volunt. Aſt merito eos ridet *laud. modo Bod. à Stap. l. c.* objiciendo, quod ſic omnia fœtida, Aſa fœtida, Caſtoreum aliaque, venenata forent; quod utero laborantes non facile concedent. Alterum vero argumentum effectum nimirum quod concernit, ille vel ſuccum tantum plantæ reſpicit, vel plantam ipſam. Ex ſucco, quem Dioscorides *l. c. epotum inſaniam, ebrietati ſimilem, cum turpi loquacitate* afferre; & Sim. Sethi *de Cibar. fac. venenum eſſe & occidere*, aſſerunt, totius plantæ virulentiam quidam evincere tentant. Aſt licet etiam largiamur ipſum hunc ſuccum eſſe venenatum, cum tamen illum dictos effectus non tam qualitate ſua venenata, quam potius nimia ſui quantitate & abuſu edere, probabile ſit; Avicenna enim ad uncias quatuor, Averroës ad ſex ſ. libram dimidiam propinant, teſte

Casp. Hoffmann. *de Med. Offic. L. II. c.* 170. §. 12. Certe ſi ſeminum calidorum, cum quibus Coriandrum ſymbolizat, eorundemque plantarum ſuccus eadem doſi exhiberetur, haud abſimilem ſine dubio effectum præſtiturus foret; eapropter tamen nemo ſanus hæc ſemina venenata dicet. Licet inquam, ſuccum Coriandri venenatum eſſe concedamus, ipſam tamen plantam venenatam eſſe ex eo concludi non poteſt. *De Lactucæ enim ſuccuo*, reſpondet optime ita argumentantibus Simon Pauli *Quadrip. Botan, p.* 276. *Galeno Authore L.* 3. *de temperam. c.* 9. *p.* 94. *&* §. 3. *ſimpl.* 7. *p.* 86. *idem traditur, ſcilicet quod inſtar Papaveris ſucci, imo inſtar Cicutæ enecet, cum alias moderatus Lactucæ uſus hominem nutriat. Niſi ergo Lactuca venenata dicenda, haud quoque Coriandrum venenatum erit aſſeverandum. Quis vero unquam ſanæ mentis repertus, qui Lactucam venenum dixit.* Idem etiam ipſe *Dioſcorides l.* 2. *c.* 143. de Porro agnoſcit, & adverſariorum quoque Authores *Pena* & *Lobelius* de Hiulca, ſ. Yucca Americana tradunt. Cauſam hujus phœnomeni duplicem hanc reddit Bodæus à Stapel *l. c. prima eſt partium tenuitas, ob quam facile penetrat; altera eſt qualitas libera, & facultas lædendi in ipſo ſucco, poſteaquam ſoluta eſt ſocietas, quam inierat cum terreſtri parte à primordiis ortus ipſius plantæ: quæ pars adverſa ferociam ejus ita cohibebat, quemadmodum ſua craſſitie tardabat celeritatem.* Et hæc de effectu ſucci. Ex effectu vero ipſius plantæ virulentiam ejus & omnium ejus partium ſtabilire conatur Nicandri Scholiastes; *Coriandrum comeſtum, potum, aut alio quodam modo uſum lethale* pronuncians; cumque hoc alii plures, mitius tamen paulo de Coriandro ſentientes atque herbam ejus atque ſemen recens & non præparatum tantummodo, virulentia quadam ſcatere credentes. *vid. imprimis Tragi. Hiſt. Stirp. & Tabernæmontani* Kräuterb. Verum & ille & hi contrariam experiuntur quotidianam veterum & recentiorum temporum expe-

experientiam , Coriandri non tantum ſemen exſiccatum & præparatum, ſed & plantam totam recentem quotidie in uſum tam culinarem quam Medicum utiliter & ſine noxa recipi , docentem. Uſum medicum herbæ virentis Coriandri ſalutarem vel ſolus Hippocrates paſſim in ſcriptis ſuis comprobat, uti infra patebit. Alimentarem autem ejus uſum plurimi quoque demonſtrant. Sic GALENUS *de Atten. Diæt. c.* 20. *Herbeſcentem Coriandri plantam eſculentam eſſe* aſſerit. Sic AMATUS LUSITANUS *in Dioſc. l. c. Herbam Coriandri virentem frequentiſſime apud Hiſpanos in cibis , juſculis præcipue, ſine noxa uſurpari, & ſemen pro cordiali haberi* tradit. Quod CÆSALPINUS *de Plant. L.* 7. *c.* 59. *Coriandri folia tam cruda quam cocta in Hiſpania in cibis expeti*, perhibens, & ROD. à FONSECA *de Sanit. tuend. c.* 18. *Hiſpanos in omni acetario Coriandro uti*, referens, confirmant. Sic quoque DION. THOMAM. Luſitanum apud Antwerpienſes Medicum doctiſſ. *Herbam Coriandri virentem Chærefolii & Selini ritu juſculis ſuis & ſuorum inſeruiſſe nullo percepto incommodo*, teſtantur JOH. BAUHINUS & BODÆUS à STAPEL *l. c.* Sic tandem ALPINUS *de Plant. Ægypt. c.* 42. fidem facit , *Herbæ Coriandri virentis uſum in cibo apud Ægyptios eſſe familiariſſimum , nec ferculum eos parare ſine foliis Coriandri.* Ut alios plures jam taceamus. Nec movet quod hic objicit, ex Monachis in Meſuem commentantibus, cum FONSECA CASP. HOFFMANNUS *l. c.* §. 14. *propter hunc uſum Coriandri Hiſpanorum plurimos eſſe fatuos, ob quorum curam tam frequentia ſint Hoſpitalia ; & ita in Ægypto quoque eſſe poſſe, licet Alpinus non obſervarit ;* cum partim hujus fatuitatis alia cauſa ſubeſſe poſſit, quam uſus Coriandri, adeoque Monachos fallaciam non cauſæ ut cauſæ, valde frequentem in Medicina, committere hic potuerint ; partim ſi ea à Coriandro proficiſcitur, (quod tamen nondum extra omnem dubitationis aleam poſitum eſt , cum nullus alius ſcriptor hac de re, valde tamen

notabili, mentionem faciat,) non ejus legitimo & moderato ſed immoderato uſui & abuſui potius hoc tribui debeat. Ipſe ALPINUS hoc innuit *l. c.* quærens, *quis unquam vidit aliquem Coriandrorum cauſa læſum fuiſſe, aut ei aliquos ſenſus turbatos, niſi immoderate eis fuerit uſus?* Et licet à noxis ex abuſu Coriandri propullulantibus, ad virulentiam ejus concludere abſurdum ſit; faciunt tamen illud cum Dioſcoride omnes qui talem ei ineſſe credunt, quod vel ſolus locus DIOSCORIDIS *L. III. c.* 62. evincit, ubi expreſſe dicitur, *largius ſumtum Coriandrum mentem non ſine periculo commovere.* Ut aliorum plurium verba jam non recenſeamus. Sed his opponimus MATTHIOLUM *Comment. in Dioſc. l. c.* ita iis reſpondentem. *Quid quæſo mirum erit de Coriandro copioſius ſumto, ſi Vinum etiam, cujus tamen eſt uſus quotidianus, liberalius epotum dolores, morbos graves, ſtrangulatus, & mortem denique inferat? quod, ſi moderate bibatur, præter alias utilitates, quos humano corpori præbet, ventriculum roborat, concoctiones adjuvat, excrementoſa pellit, cor exhilarat, intellectum acuit, ſpiritus claros reddit & vivificat. Quare non equidem video, quid obſtet, quo minus ſimili ratione credamus, tantum abeſſe ut Coriandrum noceat, ut etiam maxime proſit, ſi tamen parce & modice ſumatur.* Habet ſane Coriandrum vim caput turbantem mentemque commoventem, ſi immoderate ſumatur, cum multis aliis tam alimentis quam medicamentis ſaluberrimis, imprimis cum omnibus Aromaticis, communem, adeoque niſi & hæc venena eapropter ſint, Coriandrum quoque tale eſſe non poterit. Ex dictis itaque concludimus fabulam eſſe, quæ de virulenta Coriandri indole ab authoribus circumferuntur, & Coriandrum ſalutariter in uſum vocari poſſe, ſi modo legitimus moderatusque uſus ab immoderato uſu & abuſu probe diſtinguatur.

§. VI.

§. VI.

Hanc quæſtionem excipit alia minoris tamen momenti de temperie Coriandri, in qua deſignanda authores iterum non conveniunt. Dioſcorides frigidam, Galenus contra calidam pronunciant; utroque ſuos obtinente propugnatores. Cum autem hæc Veterum de qualitatibus hypotheſis, infelici ſidere in Medicinam introducta, judice Illuſtri BOERHAVIO, ſubtilior quam verior, & à Recentioribus ac ſanioribus, qui vires medicamentorum non à nudis umbris, imaginariis illis elementorum qualitatibus, ſed ab ipſis corporum particulis conſtitutivis, earumque textura, diſpoſitione & motu, nec non horum omnium relatione ad corpus humanum, deducendas atque explicandas eſſe recte utique ſtatuunt, jamdudum exploſa ſit, huic quæſtioni decidendæ non multum immorabimur. Decidunt LOBELIUS, TABERNÆMONTANUS, SIMON PAULI loc. cit. & MELCHIOR SEBIZIUS *de Aliment. fac. L. II. p.* 463. Coriandrum recens, quod multa crudaque excrementitia humiditate ſcatere experientia atque ratio monſtrat, ſ. Coriandri herbam, recentem imprimis, frigidioris, ſemen vero, exſiccatum præcipue, calidioris atque ſiccioris eſſe temperamenti. Plura de hac quæſtione noſſe qui cupit, adeat *citatos modo Authores, & Matthiolum, Lobelium, Dalechampium, Caſp. Hoffmannum, Joh. Bauhinum*, l. c. *&c.* qui fuſius hanc controverſiam tractant.

§. VII.

His, quam fieri potuit breviſſime, præmiſſis ad uſum Coriandri examinandum propius nunc accedimus. Licet autem ex planta noſtra ſemen potiſſimū in uſum vocetur, nihilominus tamen & Herbæ etiam aliquis uſus culinaris & œconomicus æque ac Medicus eſſe poterit. Quod culinarem Herbæ Coriandri uſum attinet, illam apud

plures

plures gentes & tanquam Alimentum & tanquã Condimentum uſurpari, §. V. dictum fuit. Vitandus tamen erit abuſus recentis imprimis herbæ, ob crudam & excrementitiam humiditatem, capiti, præſertim debili, infeſtam. Arida vera herba huic ſcopo melius inſervire valebit ob defectum vaporoſæ talis humiditatis. Gratioribus interim proſtantibus apud nos ſaltem è Culinis exulat. Oeconomicam utilitatem hujus herbæ docet Tabernæmontanus qui illam ad cimices, pulices, pediculosque abigendos & enecandos, laudat, Kräuterb. p. 180. Grün Coriander-Kraut / tödtet die Flöh und Wand-Läuß / ſo man das unter die Küſſen legt / oder es in Meer-Zwiebel-Eſſig ſeudet / und die Gemach damit begieſſet. Dergleichen thut auch / wann man das Kraut in Waſſer ſeudet / und mit demſelbigen Waſſer die Gemach begieſſet. So man auch die Leinwad / Hembder und Hoßen mit dieſem Waſſer wäſchet und beſprenget / läſſet es keinen Floh darinn / und tödtet auch die Läuß: & mox: eine andere Kunſt die Flöh zu vertreiben: Nimm Coriander-Kraut ij. Theil / Holder-Blätter / Wermuth / jedes j. Theil. Laß dieſe Stück in Waſſer ſieden / und begieß die Gemach damit / ſo ſterben ſie alle. Die Kleider mit dieſer Kochung beſprenget und gerieben / tödtet auch Läuß und Niſſe. Hæcce in gratiam muliercularum, quibus cum talibus animalculis continuo pugnandum eſt, apponimus. Ad oleum quoque olivarum corruptum reſtituendum herbam Coriandri commendat idem Tabern. l. c. his verbis: Wann Baum-Oehl verdirbt und faul wird / ſo nimm ein handvoll Coriander-Kraut und henck es ins Oehl / das wiederhole und thue es offt / biß es hilfft und das Oehl wieder gut wird. Medicis tandem uſibus tam interne quam externe inſervire poteſt. Internum uſum Hippocrates multis locis inculcat. *Libr.* enim *de Affect. edit. Fœſ. p.* 529. Coriandrum tum coctum, tum crudum ori ventriculi gratum eſſe & alvum movere, dicit, quod de herba intelligendum

dum eſſe recte vult SIM. PAULI *l. c.* Porro *Libr. de Affect. int. p. m.* 551. Coriandri herbam tritam & vino albo veteri dilutam quotidie jejuno potui exhibitam commendat. *De Morb. Mul. L. I. p. m.* 627. quoque, Coriandrum cum radice & netopum in ſubditio ad fœtum excludendum ſuadet. Uſum quoque herbæ Coriandri externum Veteres & Recentiores multum laudant, ſcopo refrigerandi, repellendi, reſolvendi, ſedandique. Vires herbæ Coriandri à Veteribus tributas Poëta AMILIUS MACER Veronenſis haud ineleganter *Carmine de Herbarum virtutibus* cecinit, cujus ideó verba apponemus:

Frigida vis Herbæ Coriandri dicitur eſſe.
Auſteræque ſimul quiddam virtutis habere:
Hancque Galenus ait perquam depellere ventre
Lumbricos, Tineasque ſolet, ſi trita bibatur
Cum vino, vel ſi mixta ſumatur aceto.
Uva cum paſſa Coriandrum, melque jugatum
Sedabunt varios ſuperaddita trita tumores:
Præcipue teſtes tumidos juvat hoc medicamen.
Argenti ſpumam Ceruſſæ contere mixtam
His tritis ſuccum Coriandri junge & acetum
Quatuor his roſeum miſcendo jugabis olivum,
Iſta terendo ſimul pretioſum conficis unguen,
Quo ſacros ignes pellas, calidosque tumores.
Si tibi difficilis confectio tanta videtur,
Succus cum ſolo prodeſt commixtus aceto:
Et ſi frumenti panis mundiſſima mica
Jungitur huic ſucco, ſedat quemcunque dolorem.
Huic ſucco ſi juncta Fabæ ſit ſola farina,
Et ſuperaddatur ſcrophis, medicabitur illis,
Et cedet fervens emplaſtro puſtula tali.

Ex recentioribus herbæ Coriandri virtutes, in ſedandis doloribus præcipue podagricis, in diſſipandis variis tumoribus, Eryſipelate, inflammationibus mammarum,

aurium, oculorum & aliis horum affectibus, prolixe ſatis laudat, variaque ex ea medicamenta parare docet Tabernæm. *l. c.* quæ tamen omnia hic recenſere anguſtia pagellarum vetat.

§. VIII.

Miſſa itaque prolixiore virium Herbæ Coriandri deſcriptione, ad examen partis plantæ noſtræ maxime uſualis ſeminis nimirum properamus. Quod non ſolum cupedias atque jucundum culinis condimentum, ſed & polychreſtum Officinis Pharmaceuticis medicamentum exiſtit. Semina autem hæc, quæ recentia, adhuc in planta hærentia, viridia ſunt & graviorem paulo ſpirant odorem, exſiccata, autem colorem ex luteo palleſcentem, saporemque & odorem aromaticum gratiſſimum obtinent, ita à Paulo Hermanno *Cynos. Mat. Med. Part. I. c. 5. p.* 229. deſcribuntur. Sunt Coriandri Majoris C. B. Pin. ſemina rotunda, ſtriata, ex cinereo fuſca, includentia ſub cortice tenuiore medullam ſubfuſcam duriuſculam, in medio quaſi ſepimentis diſtincta ſaporis ſubdulcis, ſubacris, odoris aromatici. Pomet *Hiſt. Gen. des Drog. L. 1. p.* 15. & Lemery *Trait. Univ des Drog. Simpl. p.* 221. eligenda commendant ſemina recentia, bene tamen matura atque perfecta, mundata, ſiccata, majora, ex albo palleſcentia. Idem Pometus quoque iis qui Coriandri ſemen de ruricolis emunt, ſuadet, ut, antequam hoc ſemen recondant, illud prius in cella penuaria diſpergant, quo rite ſiccetur, facile enim alias, ſi non omnia grana probe ſiccata ſunt, omne corrumpitur. Locis bene clauſis aſſervandum atque à muribus & gliribus, illud valde adamantibus, defendendum eſſe author eſt *laud.* Pometus.

§. IX.

Semina hæc Coriandri blando ⊖e △li °∞ſo aromatico temperato conſtare fidem faciunt Hermannus *l. c.* & Ettmüllerus *Coll. Pharmaceut. in Schrœd. p.* 553. & tales particulas cum ſubtilioribus 🜃ſtribus parciusq; mucilaginoſis iis ineſſe ipſe quoque odor atque ſapor ſiccati ſeminis gratiſſimus aromaticus cum levi adſtrictione abunde teſtatur. *Operatur* itaque hoc ſemen, inquit *laudatus modo* Ettmüllerus *l. c. vi aromatica & ſimile eſt in natura ſua Anetho, Aniſo, Fœniculo, Cumino & ſimilibus, & inprimis quæ quoad uſum & vim aromaticam de Aniſo dicta fuerunt, Coriandro etiam ejusque ſemini applicabilia ſunt.* In genere hinc Aromaticum & Balſamicum hoc ſemen propter ſuperius recenſita principia virtute calefaciente, incidente, attenuante, reſolvente, diſcutiente, aperiente, ſedante, ſiccante, ſubadſtringente roboranteque gaudet, ideoque in quamplurimis affectibus utiliſſimum non uno nomine conſtituit medicamentum. Ampliſſimus hic pateret campus in ſaluberrimas virtutes, quas Coriandrum cum ſeminibus dictis calidis communes habet excurrendi, iisque integrum tractatum replendi. Aſt cum præſcriptos limites tranſcendere animus non ſit, & tales virtutes in aliis jam diſſertationibus de ſeminibus calidis præcipue Aniſo, cum quo in ſpecie ſymbolizat Coriandrum, jam fuſius deſcriptæ legantur, acta agere crambemque multoties coctam recoquere nolumus contenti, ſi inſigniores ejus virtutes, quæ ab authoribus ipſi tribuuntur, quibusque ſpecifice & per eminentiam quaſi corruſcat, enarraverimus.

§. X.

Præcipua talis virtus, qua Coriandri ſemen teſtimonio veterum atque recentiorum Medicorum maxime

reſplendet eſt inſignis & ſingularis ejus virtus ſtomachica. Semen namque hoc particulis ſuis ⊖inis Alibus acriuſculis cruditates ventriculi incidendo & abſtergendo, °₀₀lis fibras ejus blande afficiendo atque demulcendo, & utriſque calorem ejusdem reſuſcitando, nec non cum conjunctis ſimul ſubtilioribus ∇eis eundem roborando, laboranti ventriculo tota ſua, ut ita loquamur, ſubſtantia valde amicum, egregie idque non uno tantum nomine ſuccurrit, ut eapropter haud immerito Ettmüllero optimum ſtomachicum vocetur. Convenit nimirum in debilitate & laxitate affectibusque ſic dictis frigidis ventriculi quia non ſolum labefactatum atque deſtructum tonum ventriculi reſtituit, ſed & calorem ejus blande reſtaurat quo nomine ſequentem confortantem & calefacientem Tragæam laudat. Tabernæmont. *l. c. p.* 178. ℞. Sem. Coriandr. ppt. ℨvj, Cinnam. ℥ß. Zingib. alb. Trium. piper. Galang. Caryophyll. ana. ℨjß. Anis. Fœnic. ana. ℨiij. Croc. ℨj. M. F. ♃ ſubtiliſſimus per cribrum trajiciendus, poſt add. Sacchar. ſubtil. ♃iſat. ℥iv. De quo ♃e quotidie duabus horis ante prandium & cœnam cochlear dimidium ſuper pane toſto vino prius madefacto aſſumatur ad ventriculum debilem & frigidum roborandum calefaciendumque. Conducit quoque ad cruditates ventriculi corrigendas & præcavendas, ob vim reſolventem incidentem atque abſtergentem, in quem finem Sennertus *Prax. L. III. p.* 41. hunc ♃em poſt paſtum aſſumendum commendat. ℞. Sem. Coriandr. ppt. ℥ß. N. M. Mac. Caryophyll. Zinzib. ana. ℨj. Sem. Carv. ℨß. Cinam. ℨij rad. Acor. ver. Galang. Cort. Citr. ſicc. ana, ℨj. Sacch. Ros. Tab. ad p. o. M. F. ♃. Præſertim autem cruditatibus acidis prodeſt indeque ortis ructibus & inflationibus

bus, principiis enim aromaticis alcalinis acidum in primis viis hærens cicurat atque infringit. Unde Galenus *L.* 8. *de comp. medicam. c.* 4. ex Archigene ructu acido affectis Coriandri ſemen cochlearis menſura exhibet, & Tabernæmont. *l. c.* ℥is ſeminis Coriandri cochlear unum in Vino bibitum ſuadet. Utraque hac virtute ventriculum roborando atque cruditates tollendo digeſtionem egregie, judice Lobelio, juvat, cibos juxta Sim. Sethi in ventriculo retinendo donec concoquantur. Hincque vapores & exhalationes ventriculi ſupprimit, uti cum Lobelio, Trago atque vulgo loquitur Schroederus, ventriculum claudendo ne ſurſum erumpant caputque tentent. Nec non expertum Ettmüllero conſtituit remedium quando poſt paſtum oriuntur phlogoſes atque rubores faciei. Eapropter à paſtu vel per ſe vel in confectione ſumtum imprimis commendatur ab authoribus, & baſin conſtituit etiam ſic dictarum Tragæarum confortantium ſtomachicarum teſte Ettmüllero, nec ullus fere ℥ pepticus paratur quem non ingrediatur ſemen Coriandri. Celebres hoc ſcopo ab Authoribus conſignatas habemus plures Tragæas ſtomachicas inter quas præcipue commendari merentur Species inciſæ ſ. Tragæa groſſa P. A. R., Tragæa groſſa communis Zwelf., Tragæa groſſa Schrœd. Trag. groſſa cum Tabulatis P. A. R. Tragæa Aromatica uſitata P. A. R. Tragææ ſtomachicæ Ettmülleri, Timæi, Lotichii aliæque plures, quas collegit Juncken *Corp. Pharm. p.* 834. *ſeqq. vid. quoque* Rolfinc. *Ord. & Meth. Med. Spec. p.* 737. *ſeqq.* Propter hanc virtutem ſtomachicam quoque in vomitu compeſcendo mirabilem proprietatem habere maſticatum ſemen Coriandri author eſt Weick. *L.* I. *Th. Pharm. c.* II. Quando autem inſignem virtutem ſtomachicam habere dicitur, eo ipſo Ettmüllerus inteſtina ſimul intelligi vult, quippe quibus eaſdem ac ven-

 triculo

triculo ſuppetias fert. Sicuti enim ventriculum roborando & digeſtionem promovendo vomitum compeſcit, ita & eodem modo inteſtinorum & alvi fluxus ſiſtit: ſic namque PLINIUS *H. N. L.* 20. *c.* 20. ventris & inteſtinorum fluxiones ſemen Coriandri ex aqua potum curare tradit. Quo cum conſentit Macer. *l. c.* ſic canens:

Illius ſemen ventrem ſtipare ſolutum
Fertur, aquæ junctum fuerit ſi ſæpius hauſtum.

SETHI quoque ſemen igne toſtum ventrem ſiſtere aſſerit. TABERNÆMONTANUS hinc ad dyſenteriam multum laudat hocce Electuarium ℞. ǯ Sem. Coriandr. ppt. ℥j. Corall. r. tenuiſſ. lævigat. ʒij Diacydoniat. Conſerv. Ros. rubr. ant. ana. ℥j. cum Syrup. Cydon. f. Elect. nucis Caſtaneæ magnitudine mane & veſperi ante paſtum aſſumendum. Qui & hancce formulam in fluxibus alvinis præcipue hepatico extollit ℞. Sem. Coriandr. ſubtiliſſ. ǯ iſat. p. j. Syrup. Cydon. p. iv. M. Eidem ſcopo etiam authore PANCOVIO Decoctum ex ſemine ſatisfacit. In Cholera quoque ob eandem rationem proficuum habetur. PLINIUS cum Ruta bibitum commendat. TABERNÆM. ʒj. ſeminis ǯ iſati ex aqua bibere jubet. Quemadmodum denique ſemen hoc ǯ iſat. ad ʒj. cum Syr. Granat. & Menth. juxta TABERN. Cardialgiæ à cruditatibus bilioſis & mucidis ventriculi originem debenti medetur ita & dolores colicos ab iisdem cauſis ortos ſedare valet.

§. XI.

Nec minus inſignis in ſemine Coriandri eſt grata ejus vis Carminativa, teſtibus ETTMÜLLERO *l. c.* HERMANNO *l. c.* KOENIGIO *regn. Veget. quadrip. p.* 806. qua flatus non ſolum præcavet ſed & ſi præſto ſunt diſcutit atque expellit. Siquidem particulis ſuis ⊖inis ∧libus aroma-

aromaticis acidas imprimis & mucidas viſcidasque cruditates primarum viarum, fœcundas flatuum matres, incidit & abſtergit, adeoque generationem eorundem impedit; nec non blando ſuo aromatico & ſubtili ▽eo principio, flatuum generationi plurimum faventem primarum viarum Atoniam corrigit, tonumque fibris reſtituit, ut hæ motu periſtaltico aucto moleſtos tales hoſpites eo melius ejicere queant; quam exploſionem flatuum, eos ⊖e ſuo △li ⚯ſo diſſipando, diſcutiendo & expandendo, haud parum promovet. Hinc exemplo Ægyptiorum in colico dolore atque aliis à flatulento ſpiritu concitatis, hoc ſemen in ♁em redactum, vel ex eo paratum decoctum, uſurpari docet Alpinus *l. c.* Tabernæmontanus ♁is ppt. ſeminis Coriandri ʒj. cum pauxillo ⊖is ex Vino auſtero, in quo candens ferrum extinctum fuit, in Colica exhibet. Per ſe etiam comeſtum utile erit. Immiſceri quoque hoc ſcopo ſalutariter poterit Tragematibus Carminativis aliisque formulis, juxta methodum Ettmülleri. Nec ullum eſt dubium eodem modo ac ſemina 4 carminativa in Clyſteribus carminativis utiliter applicari poſſe.

§. XII.

Notabilis quoque quam maxime in aromatico noſtro ſemine eſt virtus Cephalica. Siquidem non tantum in affectibus capitis Sympathicis ſed & Idiopathicis utilem operam præſtat. Concoctionem enim adjuvando, cruditates primarum viarum abſtergendo, ventriculum roborando flatusque diſſipando, Cephalalgiæ, ex Sympathia Ventriculi medetur, teſtimonio Simonis Pauli *l. c.* & Vertiginem quoque, quod ipſum etiam nomen Schwindelkraut indicat, nec non Apoplexiam ex vitio ventriculi oriundas, Authore Paulo Hermanno *l. c.*

NO *l. c.* præcavet. Poterit hoc fine Coriandri ſemen poſt paſtum ſumi vel per ſe vel in confectione, Tragæis aliisque formulis de quibus ſupra jam dictum fuit. Laudat hoc ſcopo etiam, præcipue ad præcavendam apoplexiam, citatus HERMANNUS ſequentem ♃em apoplecticum, poſt paſtum aſſumendum ℞. Sem. Coriandr. Anis. Fœnic. ana. ℥ß. Cinam. Acut. ℥j. Mac. Flaved. Cort. Citr. ana. ʒij. pan. biſcoct. ℥iv. Sacch. q. v. M. F. ♃. addi poterit aliquid Ambræ, & Moſchi. Vertigini Symptomaticæ mulierum poſt conceptionem conſulit hoc remedio TABERNÆMONTANUS *l. c.* Nimm bereiteten Coriander ij Loth / gedörrte Küttenſchnitz $1\frac{1}{2}$ Loth / guten auserleſenen Zimmet 1. Loth / Meliſſen-Saamen 1. quintlein / Natternwurtzel / rother bereiter Corallen / Muſcatblüht jedes $\frac{1}{2}$ quintlein / rothe Roſen / Kermeſinbeerlein / jedes $\frac{1}{3}$ quintlein / geſtoſſenen feinen Zucker x. Loth. Alle obgemeldte Stück ſtoß klein zu einem ſubtilen Pulver / und ſchlags durch ein härin Siblein / darnach vermiſch den Zucker wohl damit / ſo wird es eine Treſeney / davon ſoll das Weib allwegen nach dem eſſen ein halbes Löffelein voll mit einem Biſſen Brods in Wein geweichet eſſen / ſo wird ihre Frucht auch zugleich geſtärckt werden. Principiis porro ſuis blandis aromaticis atque balſamicis, dum capiti nervisque valde amicum exiſtit, ſemen hoc ſuo uſu quoque non deſtituitur in affectibus capitis idiopathicis, hinc authores SEBIZIUS *l. c.* præcipue & ZORNIUS *Botanol. p.* 228. aliique ad Caput Cerebrum & memoriam confortandam vertiginemque tollendam illud commendant, methodo modo deſcripta uſurpatum. In Capitis debilitate & affectibus ſic dictis frigidis SEBIZIUS *l. c.* cum TABERNÆMONTANO *l. c.* ſequentem Tragæam laudat ℞. Coriandr. ppt. ʒij. Hb. Meliſſ. Sem. Baſil. Caryophyll. ana. ℈ß. Sacch. roſat. Tabul. ℥ij. M. F. Trag. cujus cochlear dimidium poſt paſtum aſſumendum.

§. XIII.

§. XIII.

Non exiguam inſuper in Coriandro noſtro Uterinam virtutem deprehenderunt Authores. Generali namque nomine, ut Carminativum inſigne, ad omnes uteri affectus, flatulentiis ſtipatos, conducit, præſcripta ſupra methodo uſurpatum. In ſpecie fœminis utero debili & frigido imprimis à partu laborantibus utiliſſimum pronunciat Sim. Pauli. In quo conſentientes habet Mulierculas Ægyptias quæ, narrante Alpino, Decocto præcipue ſeminis Coriandri uteri frigiditatibus & humiditatibus occurrere norunt. Roborat enim moderateque calefacit & ſiccat. Ad fluxum quoque menſtruum in ordinem redigendum adhibetur ab authoribus, cum eundem & promoveat & moderetur. Deficientes & ſuppreſſos Menſes hoc ſemen proritare inter alios Zornius & Tabernæmontanus confirmant. Quod præſtat tam generatim vi ſua ſtomachica atque carminativa, cruditates, maxime acidas, flatusque removendo, ſicque digeſtionem bonam chylum ac ſanguinem laudabilem hujusque æqualem circuitum producendo; quam ſpeciatim, ⊖e ſuo △li ∘∘∘ſo aromatico ſpirituaſcentiam & motum humorum inteſtinum majorem ſuſcitando, quo ad uterum eo facilius deferri & victis obſtaculis prorumpere queant. Tabernæmontanus hunc in finem ʒem ſem. Coriandri floreni pondere ex Vino dulci ſumendum ſuadet. Quidam, referente Zornio, ſibi perſuadent, per totidem dies fluxum menſtruum durare, quot grana mulier aſſumſerit, credat qui velit. Nimium autem menſium fluxum hæc ſemina refrænare cum Alpino aſſerit Sim. Pauli, cujus rei rationem vis eorundem tonica & adſtringens ſuppeditat. Ridiculam de hac virtute Xenocratis opinionem Æmilius Macer ita canit.

D *Xenocrates*

Xenocrates ſcripſit totidem ceſſare diebus
Menſtrua, quot mulier Coriandri grana vorabit.

Superſtitionem ſane hæc ſapiunt æque ac illud quorundam, ex ZORNIO modo allatum, aſſertum, huic plane contrarium.

§ XIV.

Cordialis & lætificans porro virtus Coriandri ſemini haud immerito tribuitur ab AVICENNA & AMATO LUSITANO. Si quidem, cum ſuaviſſimo ſuo odore ſpiritus egregie recreet inque blandum motum cieat, quin gratiſſimis ſuis aromaticis & balſamicis principiis intra corpus noſtrum aſſumtum majore gradu id agat, nullum eſt dubium. Sicuti quoque ex iisdem principiis fluit vis ejus peſtilentis luis contagia arcendi, ab aëre venenato præſervandi, anhelitumque & fœtorem oris emendandi, quam LAUR. JOUBERT. *Op. p.* 293. TABERN. aliique ei adſcribunt. Quapropter etiam ab AVICENNA, tanquam ſingulare prophylacticum peſtis tempore commendatur, ore maſticatum atque deglutitum. Ad catarrhales porro capitis præprimis defluxiones haud ſine ratione laudatur à SCHNEIDERO *L.* 4. *de Catarrh. p.* 444. Etenim adſtringente & ſiccante ſua efficacia Catarrhos exſiccare valet. Quapropter etiam eo ſalivationi frequenti & nimiæ obviam eunt DODONÆUS & SEBIZIUS. Nec non ad ſiſtendam Gonorrhæam pollutionesque nocturnas præcavendas TABERNÆMONTANUS Sem. Coriandr. ℥iſ. ʒiij. vel ℥ß. cum Sacchar. q. s. ex ▽. fontan. bibere jubet. Quæ etiam videtur eſſe ratio cur AVICENNA & cum eo plures erectionem penis & coitum frangere atque ſperma exſiccare ac minuere illud crediderint, cum tamen ob principia ſua Alia aromatica orgaſticam humorum

humorum commotionem excitantia, uti ſemina 4. calida majora aliaque aromatica, ad Aphrodiſiacorum claſſem potius ſit referendum quod Dioscorides, Lobelius & alii quoque agnoſcunt. Fundamento inſuper non deſtituitur Dodonæus, remorantes urinas Coriandri ſemen movere dicens; quum inſigni vi gaudeat humores mucidos incidendi, leniter ſtimulandi, remiſſumque renalis cribri robur firmandi. Anthelmintica quoque virtus haud temere eidem adſcribitur, dum partim vi ſua incidente nidum vermium deſtruit, partim ſua acredine imo 🜊ſa ſua ſubſtantia ipſis vermibus inimicum exiſtit. Dioscorides & Sim. Sethi hunc in finem ſemen Coriandri cum paſſo vel vino laudant. Plinius cum mali punici ſucco & 🜊 ſuadet. Casp. Hoffm. toſtum celebrat. Tabernæmontanus vero in ▽ cum Sem. Lupin coctum & ſolum etiam cibis additum commendat. Febrifugam denique in hoc ſemine notant virtutem maximeque ad quartanam commendant & veteres & recentiores, non ſolum enim egregiam tonicam efficaciam habet, ſed &, uti Koenigius loquitur, lympham in acorem vergentem & viſcidam corrigit. De hac virtute ita Macer.

A multis ſcriptum legitur, febris ante tremorem
Si tria grana voret Coriandri ſeminis æger
Evadet febrem, cui dat lux tertia nomen.
Præſtat idem lectum Coriandrum mane, priusquam
Sol ſurgat, cervicali ſi ſubditur ægri.

Sed ſuperſtitioſis potius hoc remedium relinquendum. Efficacius ſane ad quartanam remedium, quod Terzagum Medicum Mediolan: præſtantiſſ. authorem agnoſcit, Lanzoni *in E. N. C. Dec. II. A. X. obſ.* 85. *p.* 157. proponit, quod hoc eſt ℞. Coriandr. ppt. ℥ß. infund. per 24. hor. in vin. alb. ℥v. coletur & ante acceſſionem

 bibatur.

bibatur. Ob virtutem tonicam & adſtringentem quoque ſemen hoc ad Hæmoptyſin commendat Casp. Hoffmann. & ad Hæmorrhagias narium Tabern. laudat ℥em Coriandr. ppt. cum ▽ Plantag. hauſtum. Hæcque de interno Coriandri ſeminis uſu ſufficiant, externus quoque nunc adhuc examinandus venit.

§. XV.

Varias autem externo ſuo uſu nobis præſtat utilitates, quarum præcipuas tantum ab authoribus nominatas indagabimus. Sic Hermannus ob virtutem carminativam hoc ſemen laudat in flatulentis herniis, ſequentem in modum applicandum. ℞. Sem. Coriandr. ℥ß. Cumin. Anis. ana ʒij ○ Crud. ʒß. Vin. et. ▽ ℔j. Coq. & Decoct. applica herniæ flatulentæ, addi poteſt ſem. Naſturt. q. s. Sic ob vim adſtringentem hæmorrhagias ſiſtit, præcipue toſtum. Matthiolus certum eſſe inquit experimentum ad immodicas vulnerum hæmorrhagias Coriandri ſemen in tegula toſtum & vulneri inſperſum. Sic ob vim reſolventem in variis inflammationibus & tumoribus prædicatur quoque. Tabernæmontanus Sem. Coriandr. ℥iſat. cum melle & °oo Roſar. tumoribus teſtium aliisque partium genitalium imponit. Varignanus Secr. Med. p. 305. eodem cum farina fabarum & melle Scrophulas reſolvit. Arnoldus de Villa Nova *L.* 3. *Br. Pract. c.* 22. hoc ſemine cum melle miſto Carbunculos deſtruit & conſumit. Ut innumeros alios uſus taceamus.

§. XVI.

Poſt Medicos ſeminis Coriandri uſus Culinares atque Oeconomicos adhuc vel verbo ſaltem tangemus, cum ad finem ſit properandum. Inter aromata noſtratia Coriandri ſemen haud infimum occupare locum tam analogia principiorum, quam odor atque

que ſapor ejus, jucunditate plura aromata longe ſuperans, manifeſte probat. Itaque, licet è Culinis noſtris jam fere, neſcio quo fato, exulet, multis tamen nominibus, & Culinis, & Oeconomiæ, ad aromatizandos cibos quosvis, præcipue ad condiendas atque defendendas à corruptione carnes, Pani, Lucanicis, Braſſicæ ſale conditæ, Cereviſiæ &c. gratum ſaporem conciliandum, aliaque plura utiliſſimum eſſe poterit; uti id fuſe docet TABERNÆMONTANUS. Cujus verba huc tranſcribere anguſtia pagellarum vetat.

§. XVII.

Luſtratis ſic præcipuis & ab authoribus in Coriandro noſtro maxime laudatis virtutibus, noxæ quoque ejus, quas venenata ſua qualitate producere à quibusdam creditur, una cum earundem remediis perpendendæ eſſent. Aſt quoniam, uti ſupra §. V. demonſtratum fuit, injuſte malignitatis nota Coriandro fuerit inuſta, noxæque hæ non niſi ex abuſu ejus propullulent, & inſuper optimum contra tales noxas remedium in legitimo ac moderato ejus uſu poſitum ſit, hinc diutius his inhærere ſuperfluum judicamus. Sufficiat attuliſſe locum DIOSCORIDIS *L. VI. de Mat. Med. c. 9.* in quo remedia dictarum noxarum recenſet his verbis: *His*, qui Coriandrum ſumſerunt, *poſt vomitionem Irino oleo concitatam, merum & per ſeſe, & ex Abſynthio potum auxiliatur: item oleum: nec ſecus ova in eodem exinanita, ſi liquefacta in Muria ſorbeantur: & epota Muria, & jus ſalſum ex Gallina, & Anſere: paſſum quoque cum lixivio ſumtum.* Vid. quoque de his TABERNÆMONTANUS & JOH. BAUHINUS *l. c.*

§. XVIII.

Atque ſic tandem ad præparata ex Coriandro noſtro delabimur, quorum primum eſt ipſum Semen pptum. Etenim apud plures invaluit opinio, uti ſupra dictum, quod ſemen hoc aliquid venenati caputque turbantis

foveat; adeoque nonniſi præparatum in uſum ſit vocandum. Præparationem autem hanc, qua virulentiam atque qualitates noxias caſtrare volunt, inſtituunt macerando ſemen Coriandri in aceto acerrimo vel per triduum juxta Auguſtanos, vel per diem modo ſ. 24. horas cum TRAGO, rurſusque poſtea exſiccando. Aſt cum 1. venenata ſeminis Coriandri indoles ficta ſit, 2. Semen hoc areſcentia & ætate quidquid crudi & excrementitii aut viroſi etiam ab herba matre accepit exhalet atque amittat ita, ut tuto ſemine maturo annuo ſine prævia præparatione uti liceat, docentibus cum omnibus ſolertioribus SCHROEDERO, SIM. PAULI *l. c.* ac ZWELFFERO *Animadv. Pharm. Aug. p.* 410. & 3. hac præparatione vis balſamica atque carminativa hujus ſeminis caſtretur non tam quod vis hæc cum aceto exhalet, quam potius quod partes ſeminis Coriandri ⊖inæ acres & °∞ſæ △les figantur, cicurentur atque plane etiam immutentur, ceu bene demonſtrant ZWELFFERUS *l. c.* & FRID. HOFFMANNUS *Clav. Schrœder. p.* 453. Cum, inquam, hæc ita ſint, pace LUC. SCHROECKII, *in Pharmac. Auguſt. reſtit. p.* 425. *ſeq.* qui hanc præparationem laborioſiſſime defendere vult, hanc ſeminis Coriandri Officinis uſitatam præparationem ſuperfluam, inutilem imo plane noxiam merito rejiciendam eſſe cum omnibus ſanioribus cenſemus. Cœterum hoc ſemen pptum eodem modo ac crudum uſurpatur.

§. XIX.

Secundum Præparatum eſt Confectio ſeminis ſ. Coriandrum Saccharatum, vel Saccharo obductum, quod ita parare docent TABERNÆMONTANUS & BAUHINUS ℞. Sem. Coriandr. vel ppti vel ſaltem probe repurgati à ſordibus exſiccatique ℔ij. pone in vas æneum ſuper carbones, continuo agitando donec incaleſcant, calefactis affunda-

affundatur parum ſacchari ad debitam conſiſtentiam coćti, continueque rurſus agitentur donec ſaccharum ſiccefcat, dein aliud affundatur ut prius, idque tantiſper donec juſtam magnitudinem acquirat, quæ duplex eſt, vel enim tam craſſe ſaccharo obducitur ſemen hoc ut piſi hortenſis magnitudinem æquet vel etiam ſuperet; vel quam tenuiſſime & parciſſime ſaccharo circumdatur, & Coriandrum prima tunica Officinis audit. In fine confectura exacte exſiccetur, inque locum calidum & ſiccum cribro impoſita reponatur. Priori modo paratam confectionem pro bellariis tanquam cupedias in conviviis, commeſſationibus atque compotationibus offerunt. Coriandro autem prima tunica dicto, in Medicina docente ex Tabernæm. Joh. Bauhino vel per ſe vel ad Tragæas groſſiuſculas conficiendas utimur. Per ſe absque aliis rebus uſurpatur utiliter ad confortationem capitis, cerebri & memoriæ. Medetur vertigini poſt cibum ſumtum dimidio cochleari. Paralyſi jejuno ſtomacho comeſtum & poſt prandium & cœnam devoratum. A cibo uſurpatum corroborat ventriculum, orificium ejus ſuperius claudendo; quare ſedat vomitum, faſtidiumque ciborum, præcipue autem poſt febres, concoctionem adjuvando. Corrigit anhelitum fœtentem, præcavet ebrietatem, inducit ſomnum, dolorem ventriculi à flatibus concitatum curat: venerem extinguit: humiditates abſumit, ubi os aqua & ſputo abundat. Hier. Mercur. *de Morb. puer. l. 2. c. 24.* granum Coriandri ſaccharo obductum ano imiſſum ad promendas puerperis & infantibus ſedes commendat. Ettmüllerus confectionem quoque laxativam Coriandri præparat hoc modo. ℞. Sem Coriandr. q. v. bina vice ſaccharo incruſtetur, & quando prima vice incruſtatum, ℨ Scammonei adſpergatur, & denuo abhinc ſaccharo obducatur,

obducatur, ita egregie laxat. Poterit uſurpari uti Conf. Laxat. Aniſi, ad ℈j. ℈ij. & ℥ß.

§. XX.

Tertio inter Præparata è Coriandro ▽ tam ſeminis quam herbæ ſtillatitia ſ. deſtillata occurrit. Aquam ſeminis ita deſtillare docet Tabernæmont. *l. c.* ℞. Coriandri ppti ℥viij. contunde craſſo modo affund. ▽ fontan. ℔. v. macer. in B. M. alembico cœco contecto per 24. horas: poſt igne lento per cineres deſtilla & habebis elegantem aquam ſaporem & odorem Coriandri referentem, præcipue ſi in ☉e, ut moris eſt, rectificetur. Hæc aqua ſalubris eſt in Hepatis apoſtematibus, ſi ℥j. cum aliis appropriatis ſumatur, ut Tabernæm. author eſt. In ſupra dictis affectibus de cœtero poteſt pro cujusvis arbitrio uſurpari. Externe Epithematibus inſervire poteſt cum aliis. Aquam herbæ deſtillare jubet hunc in modum idem Tabern. Herba cum caulibus, quando maxime floret colligatur, incidantur omnia minutim, deſtillentur in M. B. Externo tantum uſui inſervit, præcipue in dolore oculorum pulſatorio guttatim inſtillata. Majorem effectum edit cum lacte muliebri mixta, ſi linteola in ea madefiant, oculisque tepide applicentur. Præter has aquas è Coriandro deſtillatas, aliam adhuc laud. modo Tabern. quam Aquam Coriandri Decoctionis vocat, parat, Coriandr. nempe ppt. ℥ß. ▽ fontan. ℔ viij. Coq. in vaſe ſtanneo bene obturato alteri vaſi ▽ pleno immiſſ per 4. horas. Dein ab igne remota frigefacta coletur & in loco frigido reponatur ad uſum. Saccharum vel paſſulæ minores, quis pro lubitu addere poterit. Laudat hanc ptiſanam in omnibus fluxibus alvinis, cum vomitione quoque continua juncta Cholera dicta. In affectionibus capitis calidis quoque & ubi Vinum

Vinum non conceditur, conducit. Pauperibus quoque loco aquæ Cinnamomi exhibeatur, quum minoris ſit pretii gratiſſima tamen. Galli quoque frequentiſſime in ptiſanis Coriandri ſemen exhibent, & inſtar Thee etiam infundunt.

§. XXI.

Quartum quod ex Coriandro proſtat Præparatum eſt Oleum Coriandri ex ſemine deſtillatum, cum ▽ in deſtillatione aſcendens, ab eaq; poſtea ſeparandum. Hoc ⁰₀₀ præterquā quod ad ſupra recenſitos affectus conducat cum ⁰₀₀ deſtill. ſeminis Aniſi aliorumq; ſeminū calidorū pari paſſu ambulet eodemq; modo & interne & externe in uſum cedere queat, in ſpecie ab authoribus, teſte ZORNIO, ad motus epilepticos compeſcendos ob inſignem ſuam paregoricam vim, quæ ipſi quoque ſemini haud minima ineſt, laudatur ad gtt. 2 vel 3 in jusculo aut etiam vino calido ſumtum. Tabellæ quoque, referente ex CAMERARIO JOH. BAUHINO, ex eo cum Saccharo formantur ad Podagræ præcautionem. Externe temporibus illitum hoc ⁰₀₀ dolores capitis & dentium ſedat, ſomnumque provocat, authore ZORNIO.

§. XXII.

Inter Præparata Coriandri quinto loco, deprehenditur Mulſa Coriandrata, quam quidem MARCELL. EMPYRICUS & NICOL. MYREPSUS multum in Apoſtematibus laterum atque pleuritide celebrant, non vero deſcribunt. Hanc ita TABERNÆMONTANUS conficit. Coriandrum prius in ▽ bene coquatur, tunc colatæ hujus ▽ æ ℥viij. p. j. mellis admiſc. iterumque lento igne ad conſumtionem dimidiæ partis deſpumando probe decoq. Colat. uſui ſervatur.

§. XXIII.

Sexto denique Spiritus quoque Cardiacus ſuaviſſimus docente Koenigio *l. c.* deſtillari poteſt hoc modo. ℞. Sem. Coriandr. ℥ivß. Benzoin. ℥iij. N. M. nº VII. Caryophyll, Nº IX. Pom. Citr. opt. Nº ij. -⌒-. Vin. Rectif. ℔iv. rorismajal. ℔ij. Mellis ℔ß. M. Deſtilletur lentiſſimo igne. Innumeras quoque adhuc compoſitiones ingreditur ſemen Coriandri, quas tamen hic vix nominare licet e. gr. Species poſt paſtum, pro potu ordinario, pro potu infantum, Aquam Brombacenſem, Syrupum fragr. Laxat. Küfferi, Decoct. Laxat. Mannagettæ, & plures alias.

§. XXIV.

Et hæc ſunt quæ de Coriandro, raptim ſaltem, perſecutus tam à Dn. Reſpondente, iter facturo, quam à Typographo novam impreſſioni materiem anxie petente, calamus colligere atque huc congerere potuit. B. L. labori noſtro faveat. Deo autem Triuni ſit Laus Honor & Gloria in ſecula ſeculorum.

FINIS.